

15.
DEO CLEMENTER ANNUENTE
De
PRÆSTATIONE
EVICTIIONIS

DECRETO ET AUTHORITYTE
MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AM-
PLISSIMI JCTORUM ORDINIS IN ELECTORALI
HEIDELBERGENSI ACADEMIA ANTIQUISSIMA
PRÆSIDE

VIRO NOBILISS. EXCELLENTISSIMO
AC CONSULTISSIMO

DN. JOH. FRIDERICO
BÖCKELMANNO

J.U.D. PROF. PUBLICO ET h. t. DECANO
SPECTABILI, PROMOTORE SUO ÆTER-
NUM VENERANDO,

PRO SUMMIS IN VTROQUE JURE
DOCTORIS, HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE CONSEQUENDIS

disputabit publicè

JOHANNES GERHARDUS *WALD*
MOENO-FRANCOFURTAN.

Die 26 Maij loco horisque consuetis



HEIDELBERGÆ

Typis ÆGIDII WALTERI, Acad. Typogr. An. 1660.

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AM-
PLISS. ET PRUDENTISSIMIS

DN. OYER CHRISTOPH **BOELEREN** Patritio & Illustris
Reipubl. Francof. ad Moenum Scabino & Senatori Eminen-
tissimo.

DN. CHRISTOPHORO **BENDERN**, Jurisconsulto
Excellentissimo Ejusdemque Republicæ Scabino, Senatori &
Scholarchæ Eminentissimo,

DN. JOHANNI DANIELI **WEYER**, D. Reipubl. Sca-
bino ac Senatori Gravissimo.

DN. JOHANNI HECTORI **von Hinzberg** Patritio D.
Reipubl. Senatori Meritissimo.

DN. CAROLO **WOLF**, Dynastiæ Wardenfis Prætori di-
gnissimo, Avunculo suo magno ætatem venerando.

DNN. MOECENATIBUS atque PATRONIS
MAXIMIS

Sua Studia,


&

Juxta se totum

Dedicata Inaugurali Dissertatione
observanter & obsequiosè

Commendat

JOH. GERHARDUS **WAXMANN**



IN NOMINE SAC. SANCTÆ
TRINITATIS.

T H E S I S I.

VT à nomine ordiar in causa est, quòd citra notitiam vocabulorum ne literati nomine quisquam dignus sit, nedum jurispe- ti dicente Molinæo *in Comment. ad Consuet. Pa- ris*. Et quòd qui de re quadam agere instituit nosse prius oporteat, unde nomen ipsius rei de- scendat. *l. 1. pr. de l. & l. Evictio* igitur (Germanis *Gewähr oder Gewährschafft* / vocabulum enim *währen* idem est, quod præstare, confirmare, securum reddere. *C. I. A. h. t. th. 2. in Re- format. Francof. vocatur Schadloshaltung part. 2. tit. 10.*] deri- vatur à verbo vinco, præpositione E significationem augen- te, ut non satis sit, certamine vincere & superare in iudicio Emptorem, sed etiam requiratur rem vel possessionem abdu- cere aut retinere. *l. 16. §. 1. l. 57. in pr. & §. 1. d. t. l. 3. C. h. Bocer. d. 2. Disput. 22. n. 1. lit. A.* quod in iure haud infrequens, exemplo depositi, dictum ex eo, quod ponatur, ubi præpositio De au- get significationem, ut innuatur, rem fidei depositarii plenè esse commissam *l. 1. pr. Depos.* hinc constat, res immobiles, quæ non poni multominus deponi possunt, nullo in deposito locum invenire, *arg. l. 1. pr. depos. l. 5. C. quor. appell. non recip. l. 21.*

(4)

§. ult. ff. de Appell. l. 5. §. 1. ut legat. seu fideic. caus. exemplo etiam in hac materia claudare, quod plus est quam nominare, dum illud ita fit, ut author liti adsistat.

TH. II.

Sumitur evictio vel *vulgariter*, & sic idem est, quod vincendo extorquere. *Hahn, ad Wesemb. n. 1. h. vel artificialiter & juridicè*, hoc modo rursus vel *absolutè*, pro rei nostræ ab alio possessæ per judicem facta abductione. vel *relatè* & refertur ad venditorem sive alium, à quo rei in alterum translatae præstanda est evictio sive guaranda dicta à guerra, quæ litem significat *extr. de Treug. & pace* Et hæc significatio huius loci est propria.

TH. III.

Potest autem definiri *Evictionis Præstatio*, quod sit restitutio damni illati ob rei emptæ aut alia ex causa acquisitæ ablationem autore iudice factam.

TH. IV.

Damnum verò illatum oportet restitui vel ex pacto vel ex natura contractus *l. 2. C. de Assert. toll.* Hoc proprium est contractus emptionis venditionis, naturaliter enim & tacitè evictionis obligatio inest contractui emptionis *l. 11. §. 1. & 2. de Action. Emp.* quasi quoddam eius adminiculum, appendix & accessorium *l. 4. C. de Judic.* quamvis de ea tempore contractus ne quidem verbum inter contrahentes dicatur *l. 60. ff. h. t. Reformat. supra laudata Francof. part. 2. tit. 10. §. 1.*
zu vertheidigen vñnd Schadloß zuhalten / ob gleich im Verkauf solchen außdrücklich nicht bedingt noch abgerede were worden. Cum enim utilitas hujus contractus fecit, ut res aliena quoque vendi possit, & venditor quodammodo liberetur, si vacuum possessionem tradat, ita contra, ne emptor quoque præter justum & æquum læderetur, re
simul

(5)

simulac pretio carere necesse habens, ubi res talis per tertium evicta: hinc legibus nostris simul cautum est, ut tali in causa emptori adversus venditorem actio detur, non solum ad recuperandum pretium, quanti res aestimabitur eo tempore, quo evicta fuit, verum etiam, ut solvatur quanti ipsius interfit, rem non fuisse oblatam, ut & ad omnia damna ipsi inde enata *C. fin. x. de Empt.* Atque hac de causa factum, ut evictio tanquam proprium quoddam naturaliter emptioni venditioni inesse censeatur, neque venditor saltem ad eam ex natura contractus teneatur, licet promissa non sit, sed & volente emptore, sive statim ab initio, cum res traditur, sive post longum etiam tempus efflagitante eodem expressè eam repromittere debeat. *l. 6. l. 3. l. 60. h. actione ex empto in hoc competente l. 11. §. 1. de Act. Empt.*

TH. V.

Hinc patet differentia inter substantialia & naturalia contractus, substantialia sunt interna illa requisita, ad materiam & formam contractuum pertinentia, quæ ab illis abesse non possunt, ut sunt in emptione & venditione quoad materiam, merx & pretium, quoad formam, consensus, *l. 72. pr. de Contr. Empt.* Naturalia sunt, quæ contractibus licet expressa non sint, tacitè insunt, sed ita, ut pacto contrahentium mutari possint *Dn. D. Bicc. in Aur. sect. 4. th. 86. in not. lit. S. S.* Venditor igitur, ne teneatur de evictione sibi prospicere potest cautione. Quod & videre licet *in Reformat. Francofurt. d. tit 10. p. 2. § 3.* Auch in dem Fall nicht / da der Verkäufer ausdrücklich im Kauff bedingt / vnd aufgenommen hett / daß er den Käufer / so das verkauffte Gut anspruchig würde gemacht / vnd dem Käufer abgewonnen werden / weder Schadloß halten / noch auch

A 3

auch

(6)

auch einige Erstattung zuthun verpflichtet seyn wolte / vnd
der Käufer solches gutwilliglich also hett angenommen: Quo
casu tamen, si ignoraverit, rem alienam esse, non ratio-
ne certi alicujus subjecti, sed in genere & res sine culpa
ejus evicta fuerit, liberatur quidem venditor ab Interesse
propter Evictionem. teneatur tamen ad pretium restituendum
l. 11. §. ult. de Act. Empt. nisi specialiter & expressè conventum
fuerit, ne ad pretii restitutionem teneatur, *l. 68. h. t. Sichard.*
ad Rubr. C. h. t. n. 6. 7. 8. Sinverò sciens rem alienam vendiderit,
l. 11. §. 15. l. 30. §. 1. de Act. Empt. ob dolum tenetur ex Empto.
l. 6. §. ult. l. 11. §. 15. de Act. Empt.

TH. VI.

Sed quid, si emptor rem alienam esse novit,
tum ne pretium quidem recipit, cum sibi imputet, quare
sciens prudensque rem alienam emerit, nisi expressè de
Evictione fuerit stipulatus, vid. *Dn. Carpz. in Jurispr. Fo-*
rens. Const. 34. def. 25. & Præjudicium ibi appositum in causa Jo-
annis Billichraths zu Rudelstadi. M. Aug. Ann. 1634. Huc
pertinent. *l. 27. C. h. l. 7. §. 6. l. 14. §. ult. l. 48. §. 4. de Aedit.*
Edict. l. 7. C. Commun. utr. Iud. Quando autem uter-
que & venditor & emptor rem alienam esse norunt, actus
planè nullus est, sicut, si uterque sciat furtivum esse,
quod venit, à neutra parte obligatio contrahitur. *l. 34.*
§. 3. de Contr. Empt. tum etiam, quod iudicium, quod
ex bona fide descendit, dolo ex utraque parte veniente,
stare non concedatur. *l. 57. §. fin. de Contr. Empt.*

TH. VII.

Quamvis verò ex natura Contractus hoc præstan-
dum veniat, tamen omnes authores, re etiam nondum
evicta, tenentur cavere de evictione repromittendo, *l. 11.*
§. 8. de Act. Empt. l. 6. l. 37. pr. h. Carpz. in Iur. For.
Const. 34. def. 30. quæ Cautio vocatur, evictionis stipu-
latio;

(7)

ratio ; cujus formam ex *Cuj. v. C. h. t. pr.* recitat, *Coll. I. A. θ. 1. h.* & est duplex, una simplex, rem scilicet habere licere, si sint res viliores ; altera duplæ, si sint res pretiosæ (*Dd. hanc præstationem faciunt duplicem, propriam nimirum, cum res ipsa est restituenda, vel impropriam, cum solum pretium restituendum venit. C. I. A. θ. 2. h.*) per simplicem promittit venditor, se curaturum, ut emptori per alium habere liceat ; & interponitur dupliciter ; aut in Genere & indefinitè aut in Specie & definitè ; Prioris effectus est, quod non solum per venditorem ejusque heredes fieri debeat, quo minus rem habere liceat, sed & per omnes alios : Posterioris vis consistit in eo, quod Venditor & ejus heredes contravenientes tantum ad interesse teneri velint. *arg. l. 57. h. l. 38. pr. l. 83. de V. O. l. 11. §. fin. de Aët. Empt.* licet autem hæc stipulatio simplæ inutilis videatur, cum minus contineat, quam actio ex Empto, nemo tamen prohibere potest, quo minus ita partes convenient. *l. 27. l. 56. pr. h. Bach. ad Wes. in Not. num. 2. lit. B. h. t.*

TH. VIII.

Duplæ stipulatio seu cautio, quæ continet præstationem duplæ scilicet æstimationis ejus rei, quæ vendita est. *l. 17. l. 37. h. l. 31. §. 20. de Aëdil. Edict.* seu pretii conventi. *l. 53. l. 48. h. Wesenb. v. num. 4. h. t.* pendet vel ab arbitrio partium, ut stipulatio tripli vel quadrupli *l. 56. h.* vel præstanda est ex necessitate ; ut stipulatio duplæ, quæ ut præstetur etiam ex empto agi potest. *l. 2. h. Bach. ad Wesenb. num. 2.* Hæc certis inclusa terminis ultra alterum tantum non extenditur, maxime si venditor dolo careat, ut, si res empta sit centum, caveat venditor, se redditurum hæc & alia centum, si res fuerit evicta, nec pro quibusvis rebus, sed tantum pretiosioribus interponitur.

l. 37.

l. 37. §. 1. h. t. & in venditione mancipiorum ex consuetudine & Edicto Ædilium locum habet, *l. 31. §. 20. de Aedil. Edict.* sed hujus stipulationis hodie vix ullus usus.

TH. IX.

Licet autem venditor ad dictas hasce cautiones obstrictus sit, regulariter tamen non satisfacat. *l. 56. h. Wesenb. n. 2. h.* nisi initio contractus conventum sit inter partes, ut dentur Fidejussores. *l. 4. l. 37. pr. h. l. 1. §. 8. de Prat. stipulat.* vel consuetudine Regionis receptum. *l. 6. h. h. l. 31. §. 20. de Aedil. Edict. Carpz. in Jurispr. Forens. const. 34. def. 30.* vel in limine contractus immineat periculum Eviictionis, nam tum emptor pretium tamdiu retinere potest, donec venditor eviictionis nomine satisfaciderit. *l. 24. C. h.* dicitur autem in limine contractus imminere, quando pretium nondum est solutum. *l. 24. C. h. C. I. A. 0. 1. h. Sichard. ad Rubr. C. h. t. num. 21.* Satisfactio verò non tantum ratione litis jam motæ sed generaliter de Eviictione adversus omnes casus præstanda. *per l. ult. §. fin. de Resc. vendit.*

TH. X.

Hic oritur quæstio non inutilis: An venditor ad necessariam an verò voluntariam teneatur satisfactionem, id est, An fidejussorem ejusdem jurisdictionis, an verò Extraneum dare possit? Et respondetur, cum satisfactio hæc non perpetuò à Lege vel Edicto quasi annexa sit contractui, quæ tamen nota est necessariæ satisfactionis *arg. l. 8. §. 4. qui satisfac. cog.* Sed potius se ad eam ex propria voluntate adstringat, dum enim pretium vult consequi, sibi metipsi per consequens hanc imponit necessitatem, hinc voluntaria satisfactio erit, adeoque extraneus removebitur, in tantum ut non admittatur, licet declinationi fori renunciare velit. *l. 7. qui satisfac. cog.*

TH. XI.

(9)

TH. XI.
Præstanda autem est evictio pro rebus corporali-
bus vel incorporalibus Titulo vel oneroso vel lucrativo ac-
quisitis. Pro rebus corporalibus, titulo oneroso comparatis,
debetur in emptione venditione palmarium ob rationem
in §. 4. positam obrinente. Unde evictionis nomine obli-
gantur, si à pluribus, iisque singulis, res in solidum vel pro par-
te vendita sit, illo casu singuli quidem in solidum obligan-
tur, ita tamen, ut, si cum uno fuerit expertus, à cæteris exce-
ptione repellatur. *l. si. §. ult. h.* Hoc, ut, si tota res, quæ
partiatim vendita, evicta fuerit, quilibet pro parte sua,
quam vendidit, teneatur. *arg. l. 65. h. t. Gail. lib. 2. Observat.*
14. num. 2. si vero altera tantum pars, ille solus, cui fuit,
conveniatur. *l. 39. §. 2. h. t.* sic etiam, si ipse venditor ex novo
titulo post sibi quasitorem evincere velit, eam præstare tene-
tur. *l. 46. h.* quem enim tenet evictionis actio, illum multo
magis repellat exceptio. *l. 17. l. 18. h. t.*

TH. XII.
In Permutatione, ut & in cæteris contractibus inno-
minatis, præsertim iis, in quibus ex altera parte aliquid
dandum, evictionem præstari patet ex *l. 29. C. h. l. 1. C. de Rer. per-
mut.* Cum permutatio similis sit emptioni ac venditioni. *l.*
ult. de Rer. permut. l. ult. quib. ex caus. in possess. eat. & contra-
hentium uterque loco emtoris & venditoris habentur. *l. 19. §.*
de Aedil. Edict.

TH. XIII.
Evictio non minus locum habet in divisione heredi-
tatis, facta sive ab ipsis coheredibus, & re ex facto vel jure ter-
tiali cujus evicta, mutua oritur evictionis præstatio. *C. I. A.*
h. t. th. 5. sive à defuncto relinquente prælegata cum animo di-
videndi sine ulla affectione, *l. 14. C. fam. herc. l. 66. §. ult. h. t.*
l. 77. §. 8. vers. si tamen. de legat. 2. & hoc casu non quidem per
B actio-

actionem ; sed per modum exceptionis *d. l. 77. §. 8. vers. si tamen.* quia, quando heredes ipsi possident pro parte rem prælegatam, sufficit remedium retentionis. *arg. l. 22. ad Leg. Falc.* si vero rem totam alter possideat, utique actio ex testamento vel famil. hercisc. pro cautione de evictione præstanda non denegabitur. *Frantz. Comm. ad ff. h. num. 375.*

TH. XIV.

Eviçtio rei datæ in solutum quoque est præstanda per *l. 4. C. h. l. 8. C. de sentent. & interl. l. 98. in pr. de solut.* Est enim & illa pro venditione. *l. 3. pro empt. l. fin. ex quib. caus. in poss. eat. C. I. A. th. 5. h. t.* ad quam eviçtionem obtinendam non vetus illa actio vigore *d. l. 4.* originem trahens ex priori contractu videlicet hypothecæ, sed nova eaque utilis ex empto locum habet. Solutione enim ejus, quod debetur, omnis tollitur obligatio. *l. 9. C. de solut. pr. Inst. Quib. mod. tollit. Obl.* at datio in solutum vera est solutio ; Ergo etiam revera tollitur omnis obligatio prior & consequenter actio ex illa *Dn. Frantz. Comm. ad ff. h. t. num. 337.*

TH. XV.

In transactione dans rem alienam tenetur de eviçtione per *l. 33. C. de Transact.* Accipienti enim titulum suum concedere & jus in alterum transferre videtur, ut patet ex *l. pen. C. de Usuc. pro Empt.* Nec interest hîc, utrum ipsa res controversa, an alia quædam, ut permutationis vicem obtineat, quæ in controversiam deducta non est, in alium transferatur. Si quis verò moveat litem vel controversiam alicui, & dimittat eam penes reum conventam, quæ postea à tertio aliquo evincatur ratione dominii vel alterius juris, non tenetur talis auctor de eviçtione. *l. 33. C. de Transact.* cum dimittens penes alium non videatur jus aliquod transferre, sed

(11)

sed à lite saltem discedere intendat. *l. 10. C. de Transact.* Possessor enim, penes quem dimittitur res, retinet eam, ut propriam, non, ut rem Authoris, nec dicitur causam ab eo habere. *arg. l. 3. §. 8. de cond. caus. dat. Vid. Carpz. in Iurispr. Forens. const. 34. def. 28.* ubi ita tractatum ait in causa *Andreas Resdels zu Auma* Mens. Jul. 1620.

TH. XVI.

Locator, qui rem alienam locavit, de evictione tenetur. *l. 9. pr. l. 15. §. 8. Locat.* si sciens, indistinctè ad id, quod interest, obligatur, si ignorans, hac quidem actione liberatur, si modo habitationem non minus idoneam præstet, si non, nihilominus actio de evictione contra locatorem ad id, quod interest, conceditur. *d. l. 15. §. 8. locat.* In Emphyteusi ob similitudinem æquè præstanda est evictio, ac in conductione; cum in quolibet contractu, ex quo dominium sive directum sive utile transfertur, evictio præstanda sit. *l. 52. h. Bocer. cl. 2. Diss. 22. num. 9.*

TH. XVII.

Rei in Feudum ignoranti concessæ evictionem deberi constat *ex 2. Feud. §. 25.* & tenetur Dominus ad aliud ejusdem bonitatis & qualitatis præstandum. *2. Feud. 80.* licet Dominus, feudum concedens, à promissione inceperit. *Rosenthal, tr. de Feud. c. 8. concl. 29, num. 2. 3. 4.* quod & ad eum, qui de feudo, quod adhuc vasallus prior possidet, investitus est, sed eo sine filiis mortuo, evincitur ab agnato quodam, & ad subinfeudatum vasallum restringitur per textus generales supra adductos. Idem juris in Beneficio Ecclesiastico, quod vi mandati Apostolici uni debitum, alteri Prælatus confert, tenetur enim Prælatus de æquivalenti Beneficio ei providere, cui beneficium evictum est. *cap. in cæter. in fin. & ibi Abb. not. ult. de Præbend. Caball, §. 4. num. 48.*

B 2

TH. XVIII.

Præstatio evictionis æquè obtinet in rebus incorporabilibus titulo oneroso eoque emtionis ac venditionis acquisitis, ut sunt jura, quorum nomine veniunt, Nomina, Hereditas, &c. Apparet autem tempore evictionis, Nomina, cum contractus celebraretur, fuisse aliena, quo casu, cum venditor ad præstandam facultatem rem habere licere ex causa contractus obstrictus sit, emtor illum evictionis nomine bene convenire poterit; si verò reverà nomina fuerint venditoris, tunc sufficit, si revera existat debitor, aut existentia nomina præstet, quorum nomine jure & cum effectu experiri possit. Quid autem, si fortè debitor non solvendo sit? dicendum, Venditorem securum esse. *l. 4. de hered. vel act. vend.* quia vendens non tenetur facere bonum nomen seu præstare locupletem debitorem, sed facere verum, qui verè & efficaciter est obligatus, nec ulla tutus exceptione. *d. l. 4, 5. ff. de hered. vel act. vend.* Huc pertinent etiam. *l. 26. §. 2. mand. l. 74. §. fin. h. l. 96. §. 2. de solut. & liber.* Quod tamen ex *d. l. 4. & 5. Dn. Carpz. in Jurisprud. Forens. const. 34. def. 26.* rectè limitat in casu, quo expressè fuerit actum, ut venditor præstet idoneum debitorem; altera limitatio est, quando venditor seduxit emptorem, ajens, debitorem esse idoneum. & ita judicatum in causa Melchioris **Widemerckers zu Leipzig.** Mens. Jun. 1586. ait Dn. Carpz. *in d. def. 26.* Porro affert præjudicium in casu, si emtor compertum habuerit, competere debitori exceptionem, quòd tunc nulla detur ei actio contra venditorem, sic judicatum in causa **Dhwald Bogels von Anneberg.** M. Mart. 1633. *d. const. 34. def. 27.*

Hereditas, cum jus Universale denotet, *l. 208. de V. S.* & nomen juris sit *l. 119. eod. tit.* nec res hereditarias

(13)
nias singulares significet *d. l. 108. de V. S.* imò sine ullo corpore juris intellectum habeat, evictâ proindere aliqua singulari, venditor nomine ejus non tenetur, sed liberatur, si scilicet hereditatem & simul se esse heredem præstet; quia vendendo jus universale res particulares non veniunt, id enim agitur inter eumentem & vendentem, ut neque amplius neque minus juris habeat emptor, quam apud heredem futurum esset. *Sichard. ad l. 1. C. h. num. 6. 8. 9. 11. 14. C. I. A. h. t. th. 6. num. 46.* nisi nominatim aliter inter contrahentes convenerit. *C. I. A. d. l.*

TH. XX.

Hactenus de Præstatione evictionis pro rebus corporalibus & incorporalibus titulo oneroso acquisitis, nunc agendum, ratio ordinis suadet, de rebus titulo lucrativo comparatis; & transferuntur titulo lucrativo Res in alterum vel *Simpliciter* vel *Secundum* quid. *Simpliciter* per donationem propriè sic dictam. Si donatur res aliena ab ignorante, sive à traditione sive à conventionem inceperit. *l. 2. C. h. t.* (nulla enim ratio differentiae hic dari potest *C. I. A. h. t. th. 6. n. 4.*) evictio locum non habet. *l. 18. §. fin. de donat. arg. l. 62. de Aedil. Edict.* nisi expressè stipulatio interposita fuerit. *l. 2. C. h.* aut nudum pactum, cum hodiè etiam ex pacto oriatur actio. Extra eum casum nascitur quoque de dolo actio, si sciens quis rem alienam donet. *d. l. 18. §. fin. de donat. Carpz. in Jurispr. Forens. part. 2. constit. 34. def. 23.* quæ tamen non ad æstimationem, sed ad sumptus tantum recuperandos pro interesse extenditur.

TH. XXI.

Secundum quid transferuntur res per donationem Impropriam, quæ fit ob causam & 1. ob suspicionem & intuitum mortis ut in legatis, ubi evictio præstanda est, si ex legato generis, id est, in quantitate & nullius certæ rei,

B 3.

species

(14)

species quædam præstita ab herede & evicta fuerit *l. 58. h. t. l. 29. §. 3. de Legat. 3. l. 45. §. 1. de Legat. 1.* Cum enim illud, quod in genere debetur, nunquam perire possit, ideo ejus interitus debitorem non liberat *§. 2. Inst. quib. mod. toll. obl.* & cum legatur genus, incertum quid legatur, *Sichard. ad l. 2. C. h. num. 11.*

TH. XXII.

Secundò debetur Evictio rei, in alium titulo secundum quid lucrativo translata per donationem in propriam ob causam, actum nimirum inter vivos præteritum, ut in donatione remuneratoria, quæ regulis donationis prædictæ non continetur, ita in causa *Johannis Billichraths zu Nüdelstätt m. Jul. 1634.* judicatum vid. *Carpz. in Jurispr. Forens. part. 2. Const. 34. def. 24.* Merita autem, ob quæ fit remuneratio, non sunt unius generis, alia enim ita sunt comparata, ut, si horum nomine quid præstitum, retineri, vel si nihil, actio ad illud consequendum institui possit. *l. 27. de Donat. l. 1. pr. si mens. fals. mod.* quod contingit in meritis, propter quæ agi potest extraordinariè. *l. 1. de Extraord. cogn.* Alia sunt, quæ insigniorem operam continent & contemplatione salutis certo modo æstimari non licet, alia, quæ impensarum plerumque habent: Utroque casu, cum Donatarii aliquid interesse possit, ratione singularis assistentiæ & præstitarum impensarum, æquum est, Prætores, evicto illo, quo remuneratus, defectum illum supplere, & probatur satis hæc sententia ex collatione *l. 10. §. fin. & l. 12. pr. Mand.*

TH. XXIII.

Rei donatæ ob causam, actum videlicet inter vivos futurum, ut in datione in dotem, præstatio evictionis quoque concedenda est; Et si intercesserit stipulatio, re evicta, actionem ex stipulatu, si pollicitatio, conditionem ex lege

com.

competere, licet maritus sciens rem alienam accepisset. *l. 13. C. de Jur. dot.*, si neque stipulatio, neque pollicitatio inter-
 venerit, interest, utrum res æstimata vel inæstimata data sit; illic competit actio ex empto pro evictione *l. 1. C. de Jur. dot.* cum in effectu emptio venditio contracta sit. Hic distinguen-
 dum, utrum dolo malo, an bona fide retradita sit, si bonâ fide, nulla marito conceditur actio de evictione *d. l. 1. v. sin-
 vero* Si dolo malo data est ab extraneo (adversus mulie-
 rem enim datur tantum actio in factum, non famosa de dolo *d. l. 1. v. dolo autem*. quæ propter respectum honestatis inter
 conjunctas personas obtineri non debet, *l. 4. §. 16. de Dol. mal. except.*) actio de dolo locum habet; quarum tamen utra-
 que ad interesse sumptus & expensas consequenda tendit,

TH. XXIV.

Nihil etiam interest, ut de Evictione nascatur actio, sive tota res an pars evincatur. *l. 1. §. 1. 39. §. 2. ff. l. 10. l. 16. C. b. t.* nam, si pars rei emptæ evincatur pro indiviso, emptor pro
 quantitate evictæ partis regressum habet. *l. 1. b.* Sin pro divi-
 so res evicta sit, regressus erit pro bonitate loci ipsius fundi
 evicti, in parte autem evicta agitur ad æstimationem bonitatis
 faciendam, quæ fuit tempore venditionis non evictionis. *l. 13. b. t. Peretz. in Cod. b. t. num. 18.* Sed hic partium obser-
 vandum est discrimen. Nam evicta parte homogenea, quæ
 retinet nomen totius (ut si pars fundi evincatur) actio
 empti vel exstipulatu locum habet *d. l. 1.* Evicta parte hetero-
 genea, veluti columna domus, sola empti. *l. 23 §. 1. de Usucap. conf. l. 56. §. 2. ff. de Evict.*

TH. XXV.

Hæc de rebus, sequuntur jam Personæ, quæ evictio-
 nem præstant, & quibus præstatur, hæ sunt vel Principales,
 vel horum successores, qui vel Universales, qui ex persona
 mor-

mortuorum, cum in universum jus defunctorum succedant
l. 24. de V. S. actiones contra eosdem, qui à defunctis, si
 supervixissent, conveniri potuissent, exercere non prohi-
 bentur: vel Singulares, qui autorem suum immediatum
 de Evictione convenire poterunt, non verò authoris auto-
 rem sive mediatum, nisi vel in specie actio evictionis. *l. 99 h.* vel
 in genere omnium jurium sibi competentium cessio facta sit
 ab emptore secundo.

TH. XXVI.

Personæ, quæ præstant evictionem, sunt Vendito-
 res sive Autores rem in alium suo non alieno nomine trans-
 ferentes, horum Successores. *l. 51. §. 3. ff. l. 8. l. 9. C. h. t.* Fide-
 jussores & Fidejussorum Heredes. *l. 7. l. 8. C. h. t. §. ult. ff. d.*
Fidei.

TH. XXVII.

Alieno autem non suo nomine vendunt.

I. Creditor Pignus, quod ei in securitatem crediti
 datum est, & quidem modo duplici; vel jus pignoris (quod
 tamen etiam suo nomine alienat) in alieno transferen-
 do, hîc, si præstat, uti habet, de evictione non tenetur. *l. 7.*
C. Cred. evict. pign. non deb. vel Rem ipsam pignoratam alie-
 nando, & vendit hoc casu ut suam, & tenetur, nisi in con-
 trarium pactus sit, *l. 68. h. t.* aut jure creditoris vel lege
 Pignoris distrahit, & non tenetur *d. l. 1. C. Cred. Evict. pign. l. 11.*
§. 10. de Act. Empt. l. 10. de Distr. pign. nisi vel expressè se ad il-
 lud obligarit, vel dolo malo rem vitiosam vendiderit.

TH. XXVIII.

II. Tutor & Curator, hi, cum ex officii necessitate
 rebus pupillorum & minorem præsent, ob illa, quæ eorum
 nomine gesta sunt, non sunt conveniendi, sed ipsi adulti. *L. Ju-*
liana 1. & l. 13. C. quand. ex fact. tut. ^{modo} necessitate suadente, aliena-
 tio facta

facto fuerit
tione & interposito decreto. l. 6. l. 11. l. 12. C. de Præd. & aliis
reb. min.

(17)
TH. XXIX

III. Procurator cum vel sine Mandato. l. 33. de Pro-
cur. l. 39. l. 45. de Negot. gest. ut Procurator in specie sic dictus &
Negotiorum Gestor : Quos omnes, cum ex viri boni offi-
cio rem gerentes obligationi suæ satisfaciant, evictionis no-
mine conveniri iniquum esset, nisi pro illa fidem suam astrin-
xerint. Huc pertinent Apparitores & Executores rei ju-
dicatæ, qui pignora vendunt. l. 50. ff. l. 13. C. h. t. l. 49. ff. Fam.
herc. item Institores Patronorum nomine negotiationem
exercentes l. fin. de Inst. act. item famuli, qui ad venien-
dum excurrerunt.

TH. XXX.

Fidejussores sive authores secundi l. 4. h. t. quoque
pro evictione rei venditæ obligari, & hujus nomine conveniri
possunt. l. 40. l. 41. §. 2. ff. l. 7. C. h. etiamsi causam agi igno-
raverint, adeoque Denunciatio hujus ipsis facta non sit, nec
tantum fidejussor tenetur, sed etiam heres illius. l. 18. C.
h. t.

TH. XXXI.

Ad hoc autem, ut Auctores evictionis nomine con-
veniri possint, Denunciatio & Defensio antecedant necesse est;
Emptori enim, ommissâ denunciatione (quæ est litis moræ si-
gnificatio, Auctori judicii suscipiendi causæ vè defendendæ
gratiâ facta. C. I. A. th. 7. h. t.) simul potestas agendi ex sti-
pulatu & actione ex Empto adimitur. l. 53. §. 1. ff. l. 6. C. h. t.
vid. Reform. Francof. tit. 10. part. 2. num. 2. ibi. Dann da
der Käuffer solches nicht thun / sondern vnerforderet des Ver-
käuffers die Rechtfertigung für sich allein außführen / oder
auch gar nicht im Rechten erscheinen vnd in seinem Ungehorsam
wider sich handeln lassen würde : So ist in solchem Fall der
C Vers

Verkäufer den Käufer schadlos zu halten nicht schuldig.
Carpz. in Iurispr. For. const. 34. def. 40. Et Venditor privatur
 facultate se defendendi. Neglectâ enim litis contestatio-
 ne, autor evincentem convenire poterit, neque jure proprio,
 quia cum evincente non contraxit, non rei vindicatione,
 quia dominium semel in emtorem transtulit, non jure em-
 toris, qui re semel evicta actionem non habet, quam cede-
 re possit auctori suo.

TH. XXXII.

Denunciatio autem facienda est. I. *Autori*, ut veniat
 ad defendendum *l. 53. §. 1. ff. l. 9. l. 23. C. h. t.* Et potest vendi-
 tor, cui renunciatum est, constitui Procurator in rem
 suam. *l. 21. §. 2. l. 66. §. 2. h. l. 42. §. 2. de Proc.* Et licet vendi-
 tor juraverit, se evictionis judicio non defuturum, semper
 tamen tacita lex præsupponitur, ut requisitio præcedat, quia
 juramentum sequitur naturam contractus, super quo inter-
 ponitur *c. quemadmod. extr. de Iurejur. l. ult. C. de Non nume-
 rat. pecun.* II. *Autoris Heredibus l. 51. §. 1. l. 62. §. 1. h. t. l. 8.
 l. 9. l. 21. l. 23. Cod. cod.* & si plures sint heredes, omnibus in soli-
 dum denunciandum est. *l. 62. §. 1 h. l. 85. §. 5. l. 139. de V. O.* III.
Pupillo, sine tutoris etiam autoritate, tutore non apparen-
 te. *l. 56. §. ult. h. t.*

TH. XXXIII.

Fieri deinde potest denunciatio quovis tempore,
 hoc est, ante & post litem contestatam (apud Gallos vul-
 gò dicitur *Sommation de Garande* est perpetuelle) tum
 tamen, ne prope ipsam condemnationem id fiat. *l. 29. §.
 ult. h. t. vid. Reform. Francof. d. tit. 10. p. 2. §. 2. ibi: Die Rechts-
 fertigung vor Befestigung des Kriegs / oder je unlängst dar-
 nach &c.* Quamvis etiam denunciationem post sententiam
 in causa appellationis fieri posse probat *Frantz. k. in Comm. ad
 ff. h. t. num. 705.* Quod & obtinet in Curia Francofurtensi,
 si

si denunciatio rusticitate & imprudentia emptoris in prima instantia neglecta fuerit. *vide Reform. Francof. d. t. 10. p. 2. §. 6.* Doch da der Käufer die Denunciation oder Verkündigung in erster Instanz dem Verkäufer zu thun / auß Einsalt oder Unverstande vnterlassen / die Sach für sich außgeföhre / vnd so er darinn verlustige worden / davon appelliere hett : So soll ihm zu der zweyten Instanz dem Verkäufer die Verkündigung zu thun (so fern sonst demselben durch solchen Verzug an seinem Rechten nichts abgangen / noch er daran vernachtheilt worden were) zugelassen seyn. Non tamen opus est , ut emptor denunciacioni libellum intentatæ actionis & citationem inserat , quia nusquam leges requirunt , ut transmittatur citationis & libelli exemplum. *Bocer. Class. 2. Disput. 22. th. 98.*

TH. XXXIV.

Denunciatio verò non est necessaria , si 1. per patrum remissa est denunciandi necessitas, *l. 63. h.* 2. si emptor rem non amplius empti titulo , sed alio ut puta donationis vel legati habere capit, *l. 84. §. 5.* & sic rem venditam sibi evicit. *d. l. 84. §. 5. de Leg. 1.* 3. Si venditor præsens fuerit iudicio, & ultrò ad defendendum venerit, vel 4. si emptor & venditor in eodem iudicio simul sunt conventi ab eo, qui rem evicit, & uterque comparuit. Plures modos vide apud Caballin. §. 3. de Eviçt. C. 1. A. th. 8. h. t.

TH. XXXV.

Ad defensionem (quæ est Assistentia à venditore præstanda emptori in lite super re emta motâ , & causæ illius instructio. *l. 21. l. 23. C. h. l. 49. ff. de Iudic.*) Venditor æquè necessariò suscipiendam obligatus est, ac emptor ad denunciacionem *l. 74. §. 2. h. t. Reform. Francof. h. t. 10. p. 2. §. 5.* ibi : Ist der Verkäufer schuldig für Recht zu erschei-

nen / vnd auff seinen Kosten den Käuffer zu vertreten *re. Carpz. in Iurispr. Forens. const. 34. def. 40.* ita tractatum in causa Andreæ Bierschrots zu Denstadt M. Jan. 1634. ita tamen, ut si iudicium subire nolit, ad causam suscipiendam cogi nequeat. Nam & mandatum suscipere voluntatis est, & emtor iudicio deesse nequit. *l. 55. pr. h. t.* liquet etiam ex descriptione Defensionis, venditorem obligationi omnimodo satisfacere, si liti tantum adsistat, & causam emtoris instruendo & consilio iuuet, non verò ab ipso requiri, ut protinus in se eam totam recipiat. *l. 21. h. t.* aliter se res habet in illis, qui revera non possident, sed alterius nomine detinent, ut colonus, inquilinus, depositarius, commodatarius, hi enim Dominum suum nominantes lite eximuntur, & hanc necessitatem transferunt in ipsum. *Dn. Bicc. in Aur. Sect. 5. th. 103.*

TH. XXXVI.

Quod locum, in quo venditor defensionem suscipere debet, attinet, ille erit, ubi lis agitur, venditor enim emtoris iudicem sequatur oportet. *l. 49. de Iud. cum, ut lis, ubi moveri capit, ibi finem accipiat l. 30. eod.* tum quod Autor denunciatus sit quasi Procurator ipsi denuncianti, qui idem cum ipso Domino forum sortiri debet. *l. 35. §. 2. de Procur.* in tantum, ut, qui nequit vocari in iudicium apud Iudicem Secularem, tamen in causa evictionis cogatur sequi forum emtoris & ei assistere, tam propter generalitatem textus *l. 49. de Iudic.* quàm, quòd venditor accedat, non ut principalis, sed ut necessarius defensor emtoris, qui non convenitur, sed conventum defendit. *Peretz. in Cod. h. t. num. 37.* & hanc opinionem in Camera receptam esse testatur *Gailius l. 1. obs. 37. num. 7.* Quod si verò ipse denuncians declinationem fori neglexerit, jus illud adhuc salvum erit auctori, ne ipsi detrimento sit denunciantis negligentia.

TH, XXXVII

Fundamentum vetò Actionis de Evictione contra venditorem intentandæ, est adempta facultas rem ulterius habendi, & facta jam restitutio rei petitiæ. *l. 3. C. h. t. l. 16. §. 1. l. 57. l. 21. §. 2. ff. eod.* limitationes tamen vide in *C. I. A. th. 6. num. 1. h.* Quamdiu enim possessionem retinet emtor, nulla evictionis præstatio, nulla restituendi pretii exactio ipsi competit. *l. 74. §. 2. h.* quia, qui tenetur alicui de evictione, is non est obligatus purè & simpliciter, sed sub conditione, id est, si res vendita vel data fuerit evicta, in obligationibus verò conditionalibus non potest agi ante impletam conditionem. *l. 27. §. ult. l. 99. §. ult. de V. O.* Et in tantum obtinet, ut nec stipulatio duplæ, nec habere licere committatur, antequam res restituta sit, etiamsi jam per sententiam in iudicatum transierit. *l. 16. §. 1. l. 21. §. 2. h. t.* Unde nimis improprie exigitur evictio, cum quis tantum extrajudicialiter fuit interpellatus, cum aliud sit agere & agere velle. *l. 15. ff. Rem rat. hab.* Sed uti hæc eò extendenda, ut res etiam censeatur evicta, cum emptor æstimationem præstare coactus, aut quem is convenit rei possessor absolutus est. *l. 16. §. 1. l. 21. l. 34. §. 1. ff. h.* Ita etiam non semper actus evictionis expectatur: & quidem I. Si Venditor sciens alienam rem ignorantem vendiderit. *l. 30 §. 1. de act. Empt.* II. Si initio contractus appareat rem esse alienam juxta *l. 24. C. h.* III. Si quis ut servus alienatus est. *l. 12. C. h.*

TH. XXXVIII.

Requiritur etiam de essentia evictionis præstationis, ut res legitimè in iudicio qualicunq; sive rei vindicationis, sive actionis hypothecariæ &c. *l. 34. §. 1. & ult. h. t.* vel etiam jure communi aut singulari. *l. 39. h. l. 13. §. 1. de Minor.* ablata & abducta sit & sententia Judicis executioni mandata, id est, ad alium res illa translata. *Carpz. in Jurisprud. Forens.*

*const. 34. def. 40. Reformat. Francof. d. h. 2. 10. p. 2. §. 4. ibi. wann
das verkauffte Gut dem Verkäuffter nicht mit recht aberhalten
ten / mit Gewalt abgedrungen würde / 2c. idem juris,
si res ipsa petitori non sit reddita, sed æstimatio litis ab em-
tore præstita. l. 16. §. 1. l. 21. §. 2. l. 66 §. 2. h. Cùm enim rem non
amplius ex primo pretio comparatam penes se habeat, sed &
rem & pretium amisisset, nisi æstimationem solvisset, hâc ve-
rò solutâ, cùm quasi dupliciter rem emerit, tum à primo ven-
ditore, tum & à petitore, cui æstimatio litis data, meritò
venditorem de evictione conveniet.*

TH. XXXIX.

Requiritur insuper, ut jure res ablat a sit. *l. 1. C. de
Peric. & comm. rei vend.* id est, ut fiat ex ea causa, quæ con-
tractum venditionis præcessit; qualis est, si tempore contra-
ctus res alteri sit donata, legata, hypothecata *l. 63. §. 1. h. t. &*
sufficit, etiamsi res actu non fuerit aliena, sed potentia, id est,
ejus conditionis, ut facile fieri possit. Vitium igitur post
contractum superveniens, sive quod contractus tempore non
inerat, causam evictionis non parit.

TH. XL.

Ex eadem ratione, quod evictio ex causa emtionem
antecedente fieri debeat, emptor non habet recursum con-
tra venditorem, quando per errorem, dolum, impruden-
tiam aut injuriam Judicis res evicta est. *l. 51. ff. l. 8. C. h.* liqui-
dem hoc maximè declarat, emptorem bonam causam ex
se, vel ex persona ipsius venditoris habuisse, & contra jus &
causam emtionem subsequentem, condemnatum esse, ut,
si tutus transactione aut præscriptione eam in judicio oppo-
suerit, Judex nullam horum rationem habuerit. *Sichard. ad
Rubr. C. h. t. n. 19.*

TH. XL.

Emptor verò, ne solus damnum perentiscat, convenire poterit Judicem, qui male judicando litem fecit suam, si per imprudentiam, actione in factum ad id, quod judicantis religioni æquum visum fuerit, si dolo malo in solidam litem æstimationem, parti læsæ præstandam *l. ult. C. de Pæn. jud. qui mal. iud.* Sic ergò vitium judicis internum actionem evictionis impedit, ut externum, quod magis oritur ex persona agentis, quam judicis (cujus est secundum acta & probata judicare) dum sc. legitimè negliguntur exceptiones vel appellationes à sententia, actione evictione obstabit.

TH. XLI.

Remedium, quo emptori contra venditorem consultitur, est duplex; quorum alterum est actio ex empto ex natura contractus, etiamsi nihil convenerit, emptori adversus venditorem competens *l. 60. b. t. l. 6. C. eod.* quæ apud Dd. tacita evictio appellatur, & ejus duo sunt capita. Unum originem & primævam naturam contractus respiciens, quatenus competit ad implendum contractum, ut traditionem rei, vel si illa deficiat, ad præstationem interesse, de quo agitur *vit. de Act. Empt.* Alterum non tam originem quam naturam eius per aliquod temporis intervallum dilatam attendens: ex quo agitur ad defensionem, præstationem indemnitas, si res evicta sit, & hoc posterius caput hujus loci est.

TH. XLII.

Hæc autem Actio, primò ad æstimationem seu pretium, quo res æstimata est, tendit. Pretium verò hic accipiendum est non commune, quod consistit in vera rei æstimatione, sed conventum, quod aliàs formale vocant. *l. 13. l. 48. l. 53. l. 70. l. 74. b. t.* Quia, quòd si semel inter partes de pretio convenit, communi & verò renunciatum videatur *l. 8. C. de*

§. C. de Rescind. vend. & hoc obtinet, si res alienata in eodem statu posita est tempore evictionis, quo fuit tempore contractus : Sin autem res alienata in eodem statu non est, ita, ut pretium aut majus aut minus appareat tempore evictionis dubium est, utrum pretium formale conventum, an, quale tempore evictionis est, peti possit, & id quod interest æstimandum sit ex pretio, quale est tempore initi contractus an verò evictionis ? Posterior sententia cum *Frantzke. in comm. ad ff. h. n. 867. nobis amplectenda videtur. per l. 43. vers. de Sumpt. in fin. ff. de Act. empt.*

TH. XLIII.

Secundò, hæc actio datur ad id, quod interest, rem evictam non esse. *vid. Carpz. in Jurispr forensi. const 34. def. 39.* Quod interesse - cum se uniformiter non habeat, sed in hac materia aliquando latius accipitur, ut & pretium comprehendat, ut, quando in jure passim dicitur, actionem de evictione dari ad id, quod interest, hoc est, duplum pretii: Attamen hic nihil aliud est, quam quod emtori abest, & quantum lucrari potuit *l. 13. ff. rem ratam hab.* præstari igitur debet, quod emtor consequi potuit, atque omnis utilitas in æstimationem venit, sive circa rem consistat. *l. 21. § 3. ff. de Act. empt. sive extrinsecus accedat.*

TH. XLIV.

Tertiò competit ad sumptus litis, quos emptor fecit, hic interest, an de illis refundendis convenit, aut non convenit, priori casu indistinctè sumptus ob litem de proprietate institutam facti debentur; posteriori casu refert, num emtor obtinuit in causa, an res evicta est, si res evicta fuit, sumptuum refusio una cū pretio facienda est, *l. 17. C. h. t. l. 43. in fin. de Act. empt.* si vicit, interdum repetit illos, interdum non. Posterius contingit, si judex emtori tanquā victori in illos victum condemnavit,

vit. l. 13. §. 6. C. de Iudic. vel, si ex non facta petitione à Judice neglecta sit, Judex enim non nisi requisitus condemnationem huiusmodi facit l. 4. §. 8. de damn. infect. licet etiam ex officio in eas, si vult, condemnare victum potest, l. properandum. §. sin autem alterutra C. de Iudic. quod & Camera servat Geil. 1. obs. 151. n.º 21. Prius accidere potest, si condemnatio quidem à Judice facta fuerit, insumtus in litem motam expensos, illos verò à petitore, qui victus, quod solvendo non est, consequi nequeat.

TH. XLV.

Quartò consequitur hac actione impensas pro melioratione rei emptæ factas. Impensæ autem tum veniunt in actionem ex empto, si emptor rem venditam non possideat, utpote, si cecidit possessione sine culpa sua. l. 29. §. 1. h. t. Tunc quia non possidet, ac subinde de meliorationibus excipere non potest, reversus ad venditorem agere potest actione ex empto ad id, quod interest, sub quo impensæ quoque continentur, l. 45. §. 1. vers. quod si ff. de Act. Empt. Peretz. in Parat. C. h. t. num. 12. Quod si verò rem venditam possideat, adeoque evincentem, qui deductis impensis sumtus restituere detrectat, exceptione doli mali repellere potuerit. l. 48. de Rei Vind. l. 14. de dol. mal. except. eam verò si opponere neglexerit, est, quod sibi imputet. l. 45. §. 1. de act. Empt. nec culpa propria vel Judicis rationem non habentis factæ oppositionis venditori noceat. l. 29. §. 1. in fin. ff. de act. Empt. l. 8. C. h. nisi sciens prudensque rem alienam venderit. d. l. 15. in fin. ff. de act. Empt.

TH. XLVI.

Quintò veniunt in hanc actionem fructus, qui sunt vel pendentes vel percepti; illi, quia pars fundi sunt. l. 44. de Rei Vind. simple ad duplum junguntur secundum illud regulandum, cum per illas res melior sit & dehinc æstimatio creverit. Hi non adduntur sed imputantur duplo, seu, uti revera in se est absque illis, in duplo mensurantur. Hinc emptor, qui
 D illos

illos à lite contestata petitori restituere coactus fuit ; eatenus persequi poterit eorum æstimationem solvendam , quatenus dupli ratio patitur. Idque idè, quòd tantum per modum accessionis in actionem ex empto veniant. *l. 16. pr. h. t.* Idem de partu ancillæ & foetu pecoris sancitum sit.

TH. XLVII.

Alterum remedium, quo Emptori consulitur, est Actio ex stipulatione, quæ locum non habet, nisi ubi interveniente stipulatione de ea cautum fuit; Estque duplex nimirum habere licere & duplæ, pro varietate cautionum, quæ à venditoribus exigì solitæ sunt. Illa firmanda Actionis causa ex empto adjicitur, quia non minus, ut illa, ad id quod interest, committitur. Hæc usitatissima est, descendens ex ædilitio Edicto, ex quo interponi solebat, unde assidua vocatur, inde porro venditor illam repromittere tenetur. *l. 31. §. 20. de Aedil. Edict.* Et persequitur illa certum duplum, nempe pretii conventi. Utrum autem deficiente stipulatione ex empto in duplum agi possit, anceps est quæstio? Affirmativa arridet *l. 2. l. 37. §. ult. h. t. l. 31. §. 20. de Aedil. Edict.* Differentias verò inter has & actionem ex empto vide apud *Dn. Frantz. Comm. h. t. num. 849. cum seqq.*

TH. XLVIII.

Cessat verò Evictionis præstatio. Si præscriptio à tempore venditionis concurrat. *l. 54. h. t.* si emptor & venditor invicem heredes extiterint, licet stipulatio duplæ intercesserit. *l. 41. h. t.* per successionem enim confunduntur obligationes nec sibi ipsi heres duplum præstare potest. Si jure singulari restitutionis scilicet in Intègrum à minore ratione ætatis vel majore ex alia justa causa res vendita rursus evincatur. *Dn. Frantz. Comm. ad ff. h. t. num. 277. & 294.*

TH. XLIX.

Cessat quoque, si ex facto emptoris contingat evictio.

evictio. l. 20. h. t. veluti quando rem pro derelicto habet. l. ult.
h. t. vel aliter sua culpa amittit. l. 27. h. t.

TH. L.

Cessat denique, quando retractus jure res extraneo vendita, à consanguineo proximo in familiam quasi vindicatur vel retrahitur. Tum, quia res non evincitur, propterea, quòd non sit venditoris, sed jure speciali, nempe municipali, quod ex persona emtoris utpote extranei resultat. *arg. l. 27. l. 33. l. 34. h. t.* Et, quia scire debet ex Lege vel Statuto proximiori agnato & consanguineo in re emta jus retractus competere & usque in annum & diem salvum & illæsum manere. *l. 7. C. Comm. utr. l. 27. C. h. t.* se ipsum culpæ reum facit, quòd non diligentiorum hujus causa inquisitionem instituerit. *l. 5. in fin. de reb. dub.* Tum, quod emtor hoc in casu non gravetur, cum ad nudam rei restitutionem perinde non adstringatur, ut ad restitutionem rei evictæ, quia ipsi re retracta juxta legem municipalem satis fieri debet. *Gail. 2. Obs. 19. Dn. Frantz. k. in Comm. ad ff. h. t. n.º 284.* Hic verò Jus Patriæ secessum facit à Jure Communi, dum Jus Retractus inter Cives non admittit, nisi sint *Consortes & Ganerpii*, extra Urbem tamen in Pagis Reip. Francof. jus commune adhuc viget. *vid. Reform. Francof. Part. 2. Tit. 4. Vom Abtrieb.* Hæc de Præstatione Evictionis pro temporis ratione sufficiant, quæ si brevitate sua Ben. Lectori nec satis exposita videbuntur, Authores laudati Explicationes, Restrictiones & Exceptiones largâ manu subministrabunt.

Sicque

Ore Tibi Grates, cordeq; CHRISTE cano.

COROL-



COROLLARIA.

I.

Res Ecclesiastica propter impium usum non
in privatum Patrimonium, sed in meliores
& magis pios usus sunt convertenda.

II.

Electores nullo impedimento detenti pro ar-
bitrio ac lubitu de Jure Canonico emanere,
& per Procuratorem tantum Electioni inter-
esse possunt.

III.

Feudi legati aestimatio non debetur.

IV.

Vasallus, Domino licet invito ac repugnanti, feu-
dum remittere ac renunciare potest.

V.

Princeps Jurisdictionem non habet.

Idcirco

Princeps non est Magistratus.

VI.

Plures causa Exheredationis præter eas, quæ in
Nov. 115. sunt expressæ, non dantur.

F I N I S.

COROL



99 A 69 44

ULB Halle
002 822 598


3




Vb 17

Petro J







15.
DEO CLEMENTER ANNUENTE
De
**PRÆSTATIONE
EVICTIIONIS**

DECRETO ET AUTHORITY
**MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AM-
PLISSIMI JCTORUM ORDINIS IN ELECTORALI-
HEIDELBERGENSI ACADEMIA ANTIQUISSIMA
PRÆSIDE**

**VIRO NOBILISS. EXCELLENTISSIMO
AC CONSULTISSIMO**

**DN. JOH. FRIDERICO
BÖCKELMANNO**

**J.U.D. PROF. PUBLICO ET h.t. DECANO
SPECTABILI, PROMOTORE SUO ÆTER-
NUM VENERANDO,**

**PRO SUMMIS IN VTROQUE JURE
DOCTORIS, HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE CONSEQUENDIS**

disputabit publicè

**JOHANNES GERHARDUS WARRAS
MOENO-FRANCOFURTAN.**

Die 26 Maij loco horisque consuetis



HEIDELBERGÆ

Typis ÆGIDII WALTERI, Acad. Typogr. An. 1660.